



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

ii. Nec res substantes his conceptib[us].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

nem conceptuum aptâ verborum dispositione & significatione exprimere , eritque syllogismus vocalis grammaticaliter bonus , si exprimat conceptus , uti in mente reperiuntur , sive hi secundum regulas logicas benè , sive male sint dispositi ; à quibus cùm non imperetur aut dirigatur , sicut actus externus virtutis ab interno dirigitur & imperatur , ne quidem rationem objecti logices participat , sicut hic ab illo rationem virtutis. Est itaque quis Logicus ante voces & sine illis , dum syllogismum mentalem , aliosve actus logicos in mente solùm formavit.

II. Similiter quia Logica considerando genus , universale , &c. res ipsas substantes his denominationibus logicis cognoscit solùm indirectè & quasi per accidens , quia connexæ sunt cum significato formalí harum denominationum , sive cum forma dante rebus has denominationes V. G. cum conceptu confundente multa per modum unius , in quem ipsa fertur primariò & directè ,

A 2                      non

non attendendo , cuius rei hic conceptus  
sit imago , veluti pictor considerans  
imaginem , versatur solum per se circa  
lineamenta artificiosè ducta , non cu-  
rando , an hæc in auro , an in ligno sint ducta ,  
an hujus vel illius historiæ expressiva ; res  
omnes sive modi sciendi objectivi non  
magis sunt ejus objectum , quām res om-  
nes à Deo scitæ & volitæ sint objectum  
Theologiae ideo , quod hic <sup>ac</sup> versetur directè  
circa intellectum & voluntatem Dei . Qua-  
re regulæ Logices non sunt intelligendæ de  
rebus ipsis , sed de conceptibus , V.G. hæ:  
*definitio debet esse convertibilis cum defini-*  
*to : debet constare genere & differentia ; hac*  
*nimirum ratione : definitio formalis debet*  
*esse eadem cum definito formali , non qui-*  
*dem entitativè , sicut definitio objectiva &*  
*definitum objectivum sunt eadem , sed re-*  
*præsentativè , id est , definitio formalis debet*  
*explicare idem clariùs , quod definitum for-*  
*male explicabat obscuriùs : item defini-*  
*tio formalis debet constare genere & dif-*  
*ferentia ; non quidem objectivis , sed forma-*  
*libus , id est debet repræsentare genus &*  
*differentiam rei . Agit tamen etiam de*

præ-

prædicamentis , quæ res sunt , sed per accidens , ut præbeat tyronibus suis materiam , in qua eorum conceptus logici occupentur ; Item de differentia demonstracionem inter & syllogismum probabilem ( qui in consideratione logica , id est , ratione formæ non differunt , sed tantum ratione materiæ ) ut Tyrones in diversa materia vim formæ syllogisticæ experientur . Neque per hoc immediatè res ipsas attingere censenda est Logica , quod præsuppositivè instructa à Metaphysica , sciens proprietates & essentias rerum judicet , an definitio aliqua sit bona quoad formam , quamvis videre , an regulæ Logicæ hīc & nunc in materiis aliarum scientiarum bene sint applicatae , ad alias scientias pertinere videatur . Neque per hoc , quod examinando hanc similesque propositiones : *paries est albus* ; dicat : paries in hac propositione est subiectum , præterquam enim quod similes actus ad Logicam reductivè tantum spectent , sunt mixti , & quoad prædicatum tantum logici .

III. Neque etiam objectum materiale proximum Logices est homo , seu intellectus rectè intelligens , quia non est id , de quo tan-